



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hvmanae Salvts Monvmenta**

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiae, [1571?]**

In tabulam nuntiationis Zachariæ factæ. Ode Tricolos Tetraastrophos  
XXXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam nuntiationis Zachariæ factæ.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS  
XXXIII.

**D**ICTVM ex secundis alloquiis Dei  
Tempus nouandi fœderis adfore,  
Anni recurrentes tulerunt  
Secla viris adamata iustis.  
Ætatis alma principium bonum  
Legatus alto detulit æthere  
Demissus, assuescensq; terris  
Sese hominum facilemq; præbens.  
Aris sacerdos thura calentibus  
De more pura dum prece consecrat,  
Mortale nil præ se ferentem  
Vultu habituq; virum tuetur.  
Hic abnuenti credere iam seni  
Prolem paratam nuntiat, & nouum  
Vxoris annosæ tumorem,  
Quem populi videant stupentes.  
Ignara luxus, criminis & mali,  
Infantis almi pectora crescere  
Prædicat, & primis ab annis  
Mentis opus meditata magnum.  
Præsentis amplo munere spiritus  
Hic septa certæ sollicitus via,  
Turbata curator probandis  
Partibus & studiis reponet.  
Qua vita possit, quaq; peti salus,  
Admissus ultro qua veniat Deus:  
Nec spernet hic vates colonum,  
Nec metuet fera sceptræ regum.  
Hæc in reductis qua videt abditis  
Flamen, moratus plus solito, nequit  
Cum prodit, admirante turba,  
Prodere, nec potis est negare.

FELICIS SECVLI INITIA.

*Quid deceat, quātū expediat, quo tēpore nūquā  
Delige: permittas vt probet ipse Deus.*



DEO CONSVLII PERP. SAPIENTISS. S.

E s In